

V c  
3104



h. 28



h. 281.

V c  
3104

HEROICVM CARMEN,

In honorem

ILLVSTRISSI-

MI POTENTISSIMI

QVE PRINCIPIS AC

Domini, Domini

CHRISTIANI II.

SACRI ROMANI IM-

perij Archimarschalli, Electoris & Ducis

Saxonix, Landgrauij Thuringix, Marchio-

nis Misnix, & Burggrauij Magdeburgensis,

cum iter illud, in quo ipsius Celsitudini

obtemperationem fidemq; solenni jureiu-

rando subditi firmauerant, bene & feli-

citer emensus, Dresdam sa-

nus saluusq; reueniret,

compositum

à

M. Ioanne Lucio Dresdensi, Ecclesix

patrie Diacono, & P. L.

•§(o)§•



# PIA BREVISQVE PRECATIO.



IESV, benedicte fructus alui  
Maternæ, superiq; vera Proles  
Patris, nomine cuius in sacrato  
Bis sex cum socijs piæq; cœtu  
Plebis concilióq; cinctus, olim  
Venisti Solymam, in domum paternam:  
Duc quæso & comitare Christianum,  
Fortis Saxonæ Ducem Secundum,  
Septemuir modò qui fuit creatus  
Romani Imperij, suáq; Dresdam  
Cum fida Genitrice, cúm; magna  
Ad sedem patriam redit caterua:  
In summi DOMINI Deiq; nostri  
Sancto nomine, & omine haud sinistro  
Ad nos vt veniat, tuóq; nutu  
Sit Princeps benedictus ac secundus,  
Nulli relligione puriore,  
Nulli iusticia, benignitate,  
Nulli robore, perspicacitate,  
Nulli laude modestiæ decora,  
Nulli prosperiore sorte, nulli  
Fama, nulli opulentia secundus;  
Grandæuus quoque fiat & beatus.  
Hæc donâ bona CHRISTE Christiano.

A M E N.

M. I. L. D. P. L.



# HEROICVM CARMEN.

**V**ndiuago occiduus nitidum caput æquore Titan  
Merferat, Oceano & nox intempesta ruebat,  
Quæ fuscis terramq; polúmque amplectitur alis:  
Fessa ubi tranquilla laxabam membra quiete  
Compositus thalamo, placidum patiénsq; soporem.

Ecce autem in somnis videor mihi limina portæ,  
Quam nitidamq; nouamq; vocant, transire volucris  
Gressu, cælestis solamina dulcia verbi  
Allatum ærumnoso homini, & genua ægra trahenti,  
Atque inopinatè Clarium spectare decoro  
Stipatum cœtu Aonidum, passuq; citato  
Vrbis ad optatæ jam mœnia celsa volantem,  
Insigni & tales fundentem ex ore loquelas:

Heus bone! segnities cur te tam sera moratur,  
Ut, dum cuncta nouo Electori carmine suauis  
Turba novos vatum passim gratatur honores,  
Presso obmutescas ore vnus, & ocia degas?  
Egregia, ast inquis, facie Electoris & acris  
Iudicio, ac splendore illustris terreor aula:  
Nec mihi materies superest nunc vlla canendi.

Esto: sed longè maior pietatis habenda est  
Tam tibi quàm reliquis ratio: & sese offeret vltro  
Mox res ipsa tibi, heroo quam carmine dices.  
Ergo agè me comitare ducem, & quæcunque patenti  
Lumine lustrabis, vacuam quæcunque per aurem

Captabis, memori serua sub pectore: magno  
Sic ad scribendum campo potiere, nec aulâ  
Materies porrò tibi digna aut Principe deerit.

Hæc ait, & rapido portatus flamine, secum  
Tum reliquos comites tum me simul ocyus aufert  
Sublimes, placidèq; Ducum demittit in ipsa  
Saxonie Ensiferum penetralia, quæ modò grande  
Agmen acupictorum ardenti instrauerat ostro,  
Aulæisq; auro obryzo gemmâq; coruscis.

Ensifer hæc, animo & dextra fortissimus heros,  
Propositumq; emensus iter, cum Matre petebat  
Dilectâ, procerum magna stipante caterua.

Cumq; sub Augusto jam facta silentia tandem  
Tecto essent, sese alma Parens tulit obuia contra  
Prædulci Nato, nato melioribus annis,  
Deiectòq; in humum vultu, sic ore locuta est:

Nate, meæ vires, verè mea maxima cura  
Nate, pio Patris cari cum nomine cunctam  
Nactè potestatem regionis, numine summi  
Cœlicolum Regis, magni nutùq; Rudolphi  
Cæsaris, Imperij frenos qui rite gubernat,  
Subiectas firmòq; regit sub fœdere genteis;  
Neutri horum grates vnquam persoluere dignas  
Possumus eximia ob benefacta, hanc vsque sub horam  
Quis ornata adeò nostra est stirps omnis, vt illis  
Vix meliora queant posci, maiora vel addi.

Scilicet æternum grates debemus vtrique.

Nunc, postquam regio tibi tota animòq; volenti

Promisit:

Promisit jurata fidem, quòd saluus ad Urbem  
Ac sedem remeas patriam, tibi grator, & orae  
Tam pulcræ ut dominere diu ac feliciter, opto.

Hoc qua confieri possit ratione, paterni  
Ceu solij successorem Iesseius heros  
Ante obitum instruxit, paucis, aduerte, docebo.

Vir sis exuperans virtute, & mole sua stans,  
Ingenteisq; animos generoso in pectore verses.

Ne pauites trepidæ sue metu, aut nimis anxius vllam,  
Ius dicens, personam obliquo lumine spectes:

Summi imiq; tibi nullo discrimine agantur:

Rebus & in cunctis tua mens, sibi conscia recti,  
Summum respiciat DOMINVM, cui summa potestas  
Cunctarum soli rerum est, qui temperat orbem  
Immensum, solusq; pati miserabile nescit:

Funus, & immunis fatiq; immanis & æui est.

Deinde tibi DOMINI quoque sit custodia curæ,  
Cum primis ut ames diuini oracula verbi,

Hæc nocteisq; diésq; tuo cum corde volutans,

Pura ut relligio fædâ sine fæce, sine omni

Fuco, præualidè vigeat, sonitumq; canorum

Increpet: at fidei pugnancia dogmata veræ,

Immoti quæ scita DEI furialibus ausis

Centaurum more impugnant, ea quærere tecta

Maturè cogantur, iniquæ vbi liuida turbæ

Pectora habent celebres arasq; focosq; calentes.

In sanctis exinde vijs, quas ipse coruscant

Cælestis verbi DOMINVS per lampada monstrat,

A 3,

Perpetuò

Perpetuò incedas, certa & vestigia firmes,  
Illius vt decreta sacra, & mandata seuera,  
Iudicia & grauia, ac iura optima fœderis icl̃i  
Custodire queas, cunctisq; in rebus agendis  
Præuia sanctorum semper sit pagina vatum,  
Nilq; Patris sine consilio aggrediare supremi.

Hoc vbi consilium, quod non carissima solum  
Dat Genitrix, sed rex, quo vix vel fortibus armis  
Vel cana pietate fuit magis inclytus alter,  
Imò ipsum æterni Flamen cœlestis Parentis,  
Accipies, atque hæc sanctissima iussa capesses,  
Vt te certè equidem, Fili ò suauissime, spero  
Facturum egregiè, dum spiritus hos reget artus:  
Polliceor verèq; tibi promitto futurum  
Tandem, vt te decoret rerum prudentia solers,  
Et quæcunque geres, ac tempore quolibet ad quæ  
Te vertes, adeò feliciter omnia cedant,  
Vt magis haud voto possint felicia fingi.  
Quisquis siderei Patris præcepta facescit,  
Illius aspirat fortuna facillima cæptis.

Quin etiam è verbi cœlestis fonte salubri  
Tum fore confirmo, superi vt moderator Olympi,  
Omnia qui solus sustentat, & omnia curat  
Arbitrio nutuq; suo, regnumq; domumq;  
Det tibi tam stabilem & firmam, ne filius vnquam  
Desit, post Patrem patria qui sede locetur.  
Consilij DOMINI regnat quicumque petitis,  
Illius augetur conseruaturq; propago.

His



His ergo ut cunctis, dulcissime Nate, potiri  
Et tibi contingat, palmas ad sidera utrasque  
Extendens, fundensque preces in vota vocabis  
Regnatorem orbis rerumque hominumque potentem,  
Exemplum nati Iesseo vate secutus.  
Omnipotens donat Genitor flatumque sacratum,  
Atque adeo omne bonum, rogitanti in nomine CHRISTI.

Sic Mater. Contra sic fari Filius infit:  
Supremi, o Genitrix generosa, idem aetheris auctor  
Ac orbis, grates meritas et premia reddat  
Digna tibi, reducem quae me gratata, bonisque  
Excipiens votis, graviterque et gnauiter arte  
Instruis augusta faustaque pieque regendi  
Subiectos populosque, patresque, larumque paternum.  
Per Patris immensi juro insuperabile Numen,  
Me tua, Iessei quin regis, et ipsius Aurae  
Coelestis potius, facturum jussa, supinas  
Et cum voce manus tensurum ad sidera, ut inde  
Largiter accipiam, si quid natura negarit.  
Perpetuo hoc etenim fixum immotumque manebit,  
Qui sequitur praeccepta DEI et pia jussa parentum,  
Atque fidem, quam terrigenis terramque regenti  
Promisit, seruat, vir felicissimus ille est.

Haec ubi dicta fuere, et jam data dextera dextrae,  
Discessum tandem est, sequi in sua quisque recepit.  
Tympana continuo tundi coepere, tubarumque  
Horrissonus clangor totam mugire per aulam,  
Leticia ac fremere exultanti femina virque.

Quae

His



10  
310  
OK

Quae postquam ausculto attonitus, portamq. per amplam  
Agmina spectatorum abeuntia circumspecto:  
Ecce manu vellit laevam mihi Cynthia aurem,  
Ac voce instigat, rite ut mandata recorder,  
In medio visusq. meos sermone relinquit.

Tum somno excussus grauiori somnia demum  
Sentio me vidisse; diésq. ut postera Eoo  
Surgebat primo, referens opera atque labores,  
Exilio stratis, ut, quae Thymbræus Apollo  
Tradiderat, præcepta agitem, atque agitata faceffam.

Iisdem commissis tenui exiguaq. papyro  
Iam nunc, Imperij Septemuir inclyte sacri,  
Gratulor, ad patriam quòd cum celebri comitatu  
Saluus & incolumis letusq. reuerteris Urbem.  
Conscripsi (nec enim inficior) perpauca: paucis  
Ad Dominum verbis quia seruos addecet uti.  
Hæc ne despicias, supplex rogo. Vilia mitis  
Dona capit DEVS ipse, & supplice voce mouetur.  
Cum RVTA is seruet te florentem atque vigentem,  
Ut verum cum pace alma passu ambulet æquo.

F I N I S.



D R E S D Æ

Ex Typograph. Matthæi Stœckelij junioris,

---

Anno M. DC. I.

1778

ULB Halle  
004 788 94X

3





h. 28, 1.

ILL  
MI P  
QV

SACE  
perij Arch  
Saxonix,  
nis Misnia  
cum iter  
obtemper  
rando su  
cite

M. lo



I  
I

M  
icis  
no-  
fis,  
dini  
ciu-  
i-

V c  
3104

